

# Carmina

Paulus Diaconus

Hymnus in honorem Sancti Iohannis Baptistae

1.

UT queant laxis REsonare fibris  
MIra gestorum FAmuli tuorum,  
SOLve polluti LABii reatum,  
Sancte Iohannes!

2. Nuntius celso veniens Olympo                    5  
te patri magnum fore nasciturum,  
nomen et vitae seriem gerendae  
ordine promit.

3.

Ille promissi dubius superni  
perdidit promptae modulos loquela;                10  
sed reformasti genitus peremptae  
organa vocis.

4.

Ventris abstruso positus cubili  
senserat regem thalamo manentem,  
hinc parens nati meritis uterque                15  
abdicta pandit.

5.

Antra deserti teneris sub annis  
civium turmas fugiens, petisti,  
ne levi saltim maculare vitam  
famine posses.                                        20

6.

Praebuit hirtum tegimen camelus,  
artubus sacris strofium bidentis,  
cui latex haustum, sociata pastum  
mella locustis.

7.

Caeteri tantum cecinere vatum                25  
corde praesago iubar adfuturum;

tu quidem mundi scelus auferentem  
indice prodis.

8.

Non fuit vasti spatium per orbis  
sanctior quisquam genitus Iohanne,        30  
qui nefas saecli meruit lavantem  
tingere limphis.

9.

O nimis felix meritique celsi  
nesciens labem nivei pudoris,  
prepotens martyr heremique cultor,        35  
maxime vatum!

10.

Serta ter denis alios coronant  
aucta crementis, duplicata quosdam;  
trina centeno cumulata fructu  
te, sacer, ornant.        40

11.

Nunc potens nostri meritis opimis  
pectoris duros lapides repelle  
asperum planans iter, et reflexos  
dirige calles,

12.

ut pius mundi sator et redemptor        45  
mentibus pulsa luvione puris  
rite dignetur veniens sacratos  
ponere gressus.

13.

Laudibus cives celebrant superni  
te, deus simplex pariterque trine,        50  
suplices ac nos veniam precamur:  
parce redemptis!

Ordior unde tuas laudes, o maxime Lari?  
Munificas dotes ordiar unde tuas?  
Cornua panda tibi sunt instar vertice tauri,  
Dant quoque sic nomen cornua panda tibi.  
Munera magna vehis divinis, dives, asilis,       5  
Regificis mensis munera magna vehis.  
Ver tibi semper inest, viridi dum cespite polles,  
Frigora dum superas, ver tibi semper inest.  
Cinctus oliviferis utroque es margine silvis,  
Numquam fronde cares cinctus oliviferis.       10  
Punica mala rubent laetos hinc inde per hortos,  
Mixta simul lauris Punica mala rubent.  
Mirtea virga suis redolet de more corimbis,  
Apta est et foliis mirtea virga suis.  
Vincit odore suo delatum Perside malum,       15  
Citreon has omnes vincit odore suo.  
Cedat et ipse tibi me iudice furvus Avernus,  
Eprique lacus cedat et ipse tibi.  
Cedat et ipse tibi vitrea cui Fucinus unda est,  
Lucrinusque potens cedat et ipse tibi.       20  
Vinceres omne fretum, si te calcasset Iesus,  
Si Galilaeus eras, vinceres omne fretum.  
Fluctibus ergo cave tremulis submergere lintres,  
Ne perdas homines fluctibus ergo cave!  
Si scelus hoc fugias, semper laudabere cunctis,       25  
Semper amandus eris, si scelus hoc fugias.  
Sit tibi laus et honor, Trinitas immensa, per aevum,  
Quae tam mira facis, sit tibi laus et honor!  
Qui legis ista, precor, «Paulo» dic «parce, redemptor»,  
Sternere neve velis, qui legis ista, precor.       30

De puerō, qui in glacie extinctus est (ca. 782)

Trax puer adstricto glacie dum ludit in Hebro,  
Frigore concretas pondere rupit aquas.  
Dumque imae partes rapido traherentur ab amni,  
Praesecuit tenerum lubrica testa caput.       5  
Orba quod inventum mater dum conderet urna,  
«Hoc peperi flammis, cetera», dixit, «aquis».

Epitaphium Hildegardis filiae (783)

Hildegard, rapuit, subito te funus acerbum,  
Ceu raptat Boreas vere ligustra novo.  
Expedit necdum vitae tibi circulus annum,  
Annua nec venit lux geminata tibi.  
Parvula, non parvum linquis, virguncula, luctum        5  
Confodiens iaculo regia corda patris.  
Matris habens nomen renovas de matre dolorem,  
Postquam vixisti vix quadraginta dies.  
Pectore nos maesto lacrimarum fundimus amnes,  
Tu nimium felix gaudia longa petis.        10

Versus Pauli Diaconi ad regem Karolum precando (ca. 782)

Verba tui famuli, rex summe, adtende serenus,  
Respice et ad fletum cum pietate meum!  
Sum miser, ut mereor, quantum vix ullus in orbe est,  
Semper inest luctus tristis et hora mihi.  
Septimus annus adest, ex quo nova causa dolores        5  
Multiplices generat et mea corda quatit:  
Captivus vestris extunc germanus in oris  
Est meus afflito pectore, nudus, egens.  
Illius in patria coniunx miseranda per omnes  
Mendicat plateas ore tremente cibos;        10  
Quattuor hac turpi natos sustentat ab arte,  
Quos vix pannuciis praevalet illa tegi.  
Est mihi, quae primis Christo sacrata sub annis  
Excubat, egregia simplicitate soror;  
Haec sub sorte pari luctum sine fine retentans        15  
Privata est oculis iam prope flendo suis.  
Quantulacumque fuit, direpta est nostra supellex  
Nec est, heu, miseris qui ferat ullus opem.  
Coniunx est fratriis rebus exclusa paternis  
Iamque sumus servis rusticitate pares.        20  
Nobilitas perit, miseris accessit egestas;  
Debuimus, fateor, asperiora pati.  
Sed miserere, potens rector, miserere, precamur,  
Et tandem finem his, pie, pone malis!  
Captivum patriae redde et civilibus arvis,        25  
Cum modicis rebus culmina redde simul,  
Mens nostra ut Christo laudes in saecla frequentet,  
Reddere qui solus praemia digna potest!

Epistula Pauli Diaconi ad Petrum Pisanum (ca. 782)

1.

Sensi, cuius verba cepi exarata paginis,  
Nam a magno sunt directa, quae pusillus detulit.  
Fortes me lacerti pulsant, non inbellis pueri.

2.

Magnus dico poetarum vatumque doctissimus  
Omniumque praeminere gentium eloquio  
Cordis et replere rura fecundis seminiLus.

3.

Totum hoc in meam cerno prolatum miseriam,  
Totum hoc in meum caput dictum per hyroniam.  
Heu, laudibus deridor et cacinnis obprimor.

4.

Dicor similis Homero, Flacco et Vergilio,  
Similior Tertullo seu Philoni Memphitico,  
Tibi quoque, Veronensis o Tibulle, conferor.

5.

Peream, si quenquam horum imitari cupio,  
Avia qui sunt sequuti pergentes per invium;  
potius sed istos ego comparabo canibus.

6.

Graiam nescio loquellam, ignoro Hebraicam.  
Tres aut quattuor in scolis quas didici syllabas,  
Ex his mihi est ferendus maniplus ad aream.

7.

Nulla mihi aut flaventis est metalli copia  
Aut argenti sive opum, desunt et marsupia.  
Vitam litteris ni emam, nihil est, quod tribuam.

8.

Pretiosa quaeque vobis dona ferant divites,  
Alii conportent gemmas Indicosque lapides:  
Meo pura tribuetur voluntas in munere.

9.

Anchora me sola vestri hic amoris detinet,  
Nectar omne quod praecellit quodque flagrat optime.  
Non de litteris captamus vanae laudem gloriae.

10.

Nec me latet, sed exulto, quod pergit trans maria  
Vestra, rector, et capessat sceptrum pulchra filia,  
Ut per natam regni vires tendantur in Asiam.

11.

Si non amplius in illa regione clerici  
Graecae proferent loquellae, quam a me didicerint,  
Vestri, mutis similati deridentur statuis.

12.

Sed omnino ne linguarum dicar esse nescius,  
Pauca, mihi quae fuerunt tradita puerulo,  
Dicam; cetera fugerunt iam gravante senio: